



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

V

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

non sunt à Confessariis vrgendi, sed
absolui possunt. Malder. & alij 6. part. 1.
tr. 10. ref. 19.

Vide *Gabella.*

Tyrannus.

Tyrannus dum actu inuadit regnū
alienum, potest à quouis priuato
occidi, non autem dum possessum ma-
le administrat. Filliuc. & alij 2. etsi mul-
ti etiam tunc id licere doceant, si non
potest aliter respub. à tyrannide libera-
ri. D. Thom. & alij 8. p. 5. tr. 4. ref. 21.

V

VENDITIO.

Possunt merces pluris vendi, 1. ob
multitudinem emptorum. 2. ob
affectum ad rem. 3. ob lucrum ces-
sans. 4. ob damnum emergens. 5. ob
periculum amittendi pretium rei, vel
recuperandi cum expensis. 6. propter
modum vendendi. Bonacin. & alij. p. 1.
tr. 8. ref. 23.

2 Gemmas, canes, falcones, picturas,
&c. quæ non habent pretium taxatum,
potest

potest venditor vendere quantum em-
ptor sciens, & prudens dare, consense-
rit. Reginald. & alij 4. *ibid. ref. 56.*

3. Qui sub hastâ rem vendidit dyplô
maiori pretio quàm valebat, non tene-
tur ad restitutionem; nulla quippe fraus,
aut necessitas subest. (Malder. & Bona-
cin.) Idemque est, si nullâ interueniente
fraude, pretium fiat ad dimidium iusto
minus. Villalob. & Gordon. *ibid. ref. 55.*
& p. 4 tr. 4. *ref. 12.*

4. Si frumentum est taxatum certo
pretio; magnâ sterilitate superueniente,
non tenentur homines deinceps ven-
dere illud tum pretio antè taxato. Mo-
lina & alij. p. 1 tr. 8. *ref. 70.*

5. Merces quæ bonitate aliis longè præ-
stant, vendi possunt ultra pretium lege
taxatum. (Molina & Reginald.) Non
tamen licet seponere res meliores, &
has vendere pretio maiori, deteriores
autem pretio taxato, & secus facientes,
tenentur ad restitutionem. Fillius. &
Fernand. *ibid. ref. 52. & 35.*

6. Qui vino generoso miscet aquâ, aut
puro tritico secali, eâ tamè moderatio-
ne, vt non sint deteriora, quàm quæ
passim venduntur, potest eodè pretio
vendere quo alij. Lessl. & alij 2. *ib. ref. 51.*

7. Mer-

7 M
tur c
statâ
lij. *ibi*
8 L
preti
terdu
dit, n
sius
9. P
occu
aqua
empt
preti
ctus:
cont
habil
dum
emer
nulla
10
quen
cond
cum
ricult
t um
resol.
11
nopo

7 Merces quæ communiter venduntur creditò pluris vendi possunt expectatâ, quàm præfenti pecuniâ. Sâ & alij. *ibid. ref. 21.*

8 Licet aliquid exigere supra iustum pretium ratione periculi fortis, cui interdum exponitur is, qui creditò vendit, nam hoc est pretio æstimabile. Lessius & alij 7. *ibid. ref. 57.*

9 Potest quis vendere rem cum vitio occulto, vel dare vnum pro alio ferè æquali, quod si emptor nosset, nō esset emptus, saltem tanti; modò venditor pretium minuat, habitâ ratione defectus: sic enim seruatur æqualitas inter contrahentes. Si tamen venditor probabiliter intelligit emi rem ad reuendendum, vel emptor explicet, se nolle rem emere nisi careat vitio, venditio erit nulla. Salas & alij 6. *ibid. ref. 39.*

10 Potest quis vendere equum, torquem, &c. ultra iustum pretium, cum conditione, vt emptor illud soluat cum vxorem duxerit; propter periculum amittendi capitale, cui pretium debet proportionari. Megal. *ibid. resol. 38.*

11 Mercator non particeps monopolij, non potest suas merces ven-

vendere pretio illo, quod per monopolium creuit : quia illud ex se est iniustum. (Rebell. & alij 3.) quamuis contrarium sit probabile. (Reginald. & alij 2.) Est autem monopolium etiam contra iustitiam, si mercatores conspirent, ut nullus vendat nisi pretio summo. (Turrian.) et si id neget Molin. & alij 3. *ibid. ref. 24.*

12 Si quis sciat rem breui minus valituram, potest eam vendere pretio currenti : utitur enim iure suo. Imò etiam Senatus, & Consiliarij Regis possunt vendere res suas pretio cõmuni, quod sciunt futurâ promulgatione legis breui minuendum ; nec tenentur eam promulgationem manifestare ante tempus, dummodò non differant eo fine, ut priùs vendant omnes merces. Turrian. & Couarr. *ibid. ref. 40. & 42.*

13 Potest quis vendere aut locare domum pretio currenti Parisiis, licet sciat Aulam, & Regem breui aliò migraturum. Molin. & alij 4 *ibid. ref. 45.*

14 Non peccat contra iustitiam, qui interrogatus de futurâ copiâ mercium, vel de minuendo pretio tritici, aut monetæ, vel de Regis & Aulæ discessu, dicit se nescire, vel æquiuocè responderet,

det, vel etiam negat. Quia non tenetur dicere veritatem, neque ex mendacio crescit pretium. Salas & alij 2. *ibid. resol. 46.*

15 Licet merces certo pretio vendere, quando dubitatur vtrum futuro tempore plaris, aut minoris aestimabuntur; nam in hoc casu emptor & venditor sunt paris conditionis. Azor. p. 3. tr. 5. res. 115.

16 Potest quis vendere credito pretio currenti tempore solutionis, si pro tunc seruaturus erat illas merces; deductis tamen impensis, & periculis pro se seruandâ, subeundis. (La Cruz & alij.) Non tamen licet vendere triticum pretio quo nunc appretiat, cum pacto, vt venditor tunc cum fiet solutio, possit accipere triticum, aut pecunias prout libuerit; quia sic affecurat suum negotium, nec vllum periculum subit. Villalob. & Rebeli. *ibid. tr. 6. resol. 2.*

17 Potest quis vendere res indifferentes iis, quos nouit illis ad peccatum abusuros, modo adsit rationabilis causa, puta necessitas, vel utilitas. (Sanchez & Salas.) Hoc tamen non licet in iis circumstantiis, quibus ex-

P p

terius.

terius apparet mala intentio ementis
v.g. si venderetur agnus iudæo iam sa-
crificanti, aut gladius conanti alterum
occidere, aut arma deferrentur ad ca-
stra gerentium bellum iniustum (Co-
ninc & Lorca.) In dubio verò de malo
vfu ementis, possunt vendi nullâ iustâ
causâ concurrente: quia in dubio ne-
mo præsumitur delictum commissu-
rus. Sanchez & Merol. p. 1. tr. 8. ref. 41. &
p. 4. tr. 3. ref. 60. & p. 5. tr. 7. ref. 37.

18 Si venditor rem tradat emptori,
& emptor sit in morâ culpabili tra-
dendi pretium, leges meritò conce-
dunt actionem contra emptorem
morosum, ad exigendum omnes fru-
ctus, quos emptor percipere potuis-
set, & per negligentiam suam non per-
cepit à tempore moræ, iuxta propor-
tionem pretij non soluti. In foro autem
conscientiæ, non est cogendus hic em-
ptor ad illos fructus soluendos, ante
sententiam iudicis. Rebell. & alij part. 3.
tr. 5. ref. 114.

19 Venditor qui est in morâ culpabili,
nec tradit rem venditam tempore de-
signato, tenetur emptori ad omne in-
teresse, intrinsecum, & extrinsecum:
nam ex iniustâ rei detentione est cau-

sa damni. Id autem intellige in foro conscientie; nam in foro externo. venditor tenetur tantum ad interesse intrinsecum. Lessius & alij 2. *ibid.* ref. 111.

Vide. *Emptio, Usura.*

Virgo.

1. Virginis corruptor qui nullam vim adhibuit, aut dolum, sed precibus, blanditiis, & persuasionibus illam induxit ad consensum, non tenetur ad restitutionem, nisi preces illæ essent adhibite ab aliquo cui puella deberet reverentiam, ut à domino, vel Principe; preces enim Superioris inducunt metum. Turrian & alij 5. p. 2. tr. 16. ref. 48.

2. Raptus non est circumstantia necessario explicanda in confessione, si virgo consentit, etiam parentibus infens; secus si parentes actu repugnent, quia tunc fit eis manifesta vis, & iniuria. Verum non tenetur raptor ad aliquam restitutionem virgini, vel parentibus faciendam, quia est domina corporis sui, & liberè consentit. Suarez & alij 5 p. 1. tr. 7. ref. 37. & p. 3. tr. 4. ref. 67.

3. Vir, imò & Virgo quæ primò fornicatur, non tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire; est enim

tantum simplex fornicatio. Vasquez & alij 8. ib. res. 10. & 11. & p. 3. tr. 4. res. 67.

Vniuersitas.

Qui in Vniuersitate promouetur ad gradum academicum, non habens omnia requisita à statutis Vniuersitatis, vt quia non interfuit cursibus debitis, &c. non peccat mortaliter, secundo iuramento. Sanch. p. 4. tr. 4. res. 173.

Votum.

1 **V**otum de non procurando, vel acceptando Episcopatu, vel officio Iudicis, Senatoris, &c. validum est. Suar. & alij 5. p. 6. tr. 7. res. 27.

2 Qui dubitat an votum emiseric, vel an sufficientem habuerit usum rationis, non tenetur. Quando autem vouit post septennium, præsumitur pro voto. Suarez & alij. Hinc 1. certus se vouisse Religionem, sed dubius an aliquam in particulari, potest quamlibet ingredi: vel qui vouit non accedere ad feminam, & dubitat an intellexerit de accessu fornicario tantum, an etiam maritali, potest vxorem ducere. Sanchius

cius & alij 2. 2. si dubitet an solùm vo-
uerit Religionem ingredi, an etiam
profiteri, non tenetur post ingressum
in eâ perseuerare. Sanchez. 3. sciens se
vuisse castitatem, sed immemor sub
quibus verbis, & dubius an perpetuam,
an temporalem, ad hanc solam tene-
tur. verba autem *voueo castitatem*, so-
nant perpetuitatem. Sanchez. 4. Qui
vovit dare Ecclesiæ aliquot mensuras,
vel nummos, & dubitat quos intel-
lexerit, potest dare minores. Ratio in
his omnibus est, quia in dubio votum
tantùm obligat ad id quod minus est.
Sanchez & alij. Quæ vera sunt, etiam si
quis magis inclinaret in eam partem,
quod votum emisit. Sanchez & a-
lij 5 p. 4. tr. 3. ref. 10. 11. 36. 48. & 12.

3 In dubio an votum emissum sit an-
te pubertatem, vel à minorenni, potest
pater illud irritare, vel alij habentes
potestatem irritandi. Quod verum est
etsi dubium versaretur circa tempus
subiectionis. v. g. si vxor dubitet, an an-
te matrimonium votum emisit. San-
chez & alij 3. *ibid.* ref. 37.

4 Quando dubitatur de materiâ vo-
ti, an bona sit, an mala, nulla est obli-
gatio. Sanchez & alij 3. Sed contra-

Pp 3

rium

rium est probabilius. Suarez & alij 2.
ibid.ref.13.

5 Qui vouit ieiunare quadragesimam
eum non teneretur, & dubitat an cō-
prehenderit abstinentiam à lacticiniis,
non teneretur ab his abstinere. Salas &
Angles. *ibid.ref.20.* Item qui vouit cer-
to die ieiunare, & dubitat an vouerit
simpliciter, an cum dependentiâ à tali
die: si eo die fuit impeditus, non tene-
tur alio ieiunare. Caietan. & Layman.
Porro in votis personalibus censetur
obligatio annexi diei: in realibus ve-
rò prorogari, nisi aliud constet: vt cō-
staret si quis singulis diebus sabbatinis
vouisset dare elemosynam in hono-
rem B. Virginis. Castro Pal. & alij. p. 3.
tr. 5 ref. 26. & p. 5. tr. 5. ref. 53.

6 Votum de faciendo peccato veniali,
tantum est veniale; quia paruitas ma-
terix excusat. Lessius. p. 4. tr. 4. ref. 160.

7 Votum pœnale quo quis se obliga-
uit ad aliquid faciendum. si v. g. tecum
iuret, intelligitur de primâ vi: e tantum,
nisi intendisset expressè quoties pec-
casset. Layman. *ibid.ref. 181.*

8 Qui vouisset castitatem non absolu-
tè, sed tantum quoad opus externum,
non peccaret contra religionem: dese-

Ratio.

ratione morosa p. 5 tract. 13. ref. 99.

9 Qui professionem fecit inualide, tenetur tamen ex vi illius ad seruandam castitatem tamquam ex voto simplici. Sāch. & alij 2. p. 6. tr. 7. ref. 51.

10 Omnia vota vxoris, saltem stantē matrimonio facta, à marito irritari possunt, non minùs quàm vota Religiosi à Prælato, & impuberis à patre. Item vota emissa ante matrimonium, quod intelligendum est etiam de marito secundi matrimonij, qui potest irritare vota quæ fecit vxor tempore prioris matrimonij. Sanchez & alij. p. 3. tract. 4. ref. 220. Quæ vera sunt, quamuis illa vota emissa essent cum licentiâ mariti. Neque vir illa irritando, etiam sine causâ, peccabit nisi venialiter, quatenus inconstanter retractat quod concesserat. Imò quamuis mutuo consensu castitatem vouissent, & iuri petendi renuntiassent, nihilominus illicitè quidem, sed validè vxoris votum maritus irritabit. Sanchez & Præposit. p. 4. tr. 4. ref. 110.

11 Superiores habentes potestatem dominatiuam in alios. v. g. in vxorem, filium, seruum, subditum, religiosum, possunt irritare illorum vota, etiam

implenda tantum tempore soluta subiectionis saltem respectu eorum qui plenè ipsis quoad voluntatem subiciuntur, vt Religiosi, & filij impuberes. Sanchez. *ibid.* ref. 29.

12 Non potest superior religiosus vota à subdito emissa postea irritare quando is assumptus est ad Episcopatum, vel Cardinalatum. Castrop. & alij 2. etsi contrà ster Sà p. 6. tr. 7. ref. 26.

13 Vota facta à filio impubere potest irritare pater, etiam post eius pubertatem, nisi tunc filius ea ratificauerit. Less. & alij 4. In dubio autem an ratificauerit, vel an post pubertatem, iudicandum negatiuè. Imò & Curator id potest, qui pro tunc substitutus fuerit. Sanch. & alij 4. idemque dicendum de Matre, si ipsa Curatoris officium exerceat, aliàs non. Castrop. p. 6 tr. 7. ref. 22.

14 Omnia vota, præter votum castitatis, religionis, & peregrinationis transmarinæ, virtute Bullæ Cruciatæ commutari possunt, atque adeò etiam vota eundi Romam, vel Compostellam. Villalob. & Fernand. p. 1. tract. 11. ref. 68. Imò si vota illa reseruata, fuerint commutata in aliud, illud poterit

rit

rit iterum per Bullam commutari.
 (Suarez & alij 6.) Item si vota ea, sint
 emissa cum intentione obligandi se
 tantum sub peccato veniali, erunt per
 Bullam commutabilia etiam facta cum
 intentione se obligandi, vt solus Papa
 possit commutare. (Suarez & alij 5.)
 Item si sint emissa propter leuem me-
 tum; quia non sunt omnino libera,
 ac proinde non censentur reseruata.
 (Lessius & alij 6.) imò probabile est vo-
 tum ex leui metu esse irritum. Nauarr.
ibid. ref. 71. 72. 75. & 73.

35 Votum Religionis Melitensis non
 potest priuilegio Bullæ commutari:
 quia Equites Melitenses sunt verè Reli-
 giosi, ita vt per professionem huius re-
 ligionis dirimatur matrimonium ra-
 tum. Henriquez & alij 13. *ibid. ref. 77.*
 Votum autem Religionis D. Iacobi, Ca-
 latraux, & Alcantaræ potest; quia sub
 opinione est an sit reseruatum necne.
 Sanchez. *ibid. ref. 78.*

16 Votum religionis, vel castitatis
 emissum ab eo qui est sub alterius po-
 testate, secundum Gutierrez est per
 Bullam, vel Episcopum commutabile;
 quia si pater, dominus, maritus pos-
 sunt illa vota irritare, ergo poterit &

Episcopus dispensare, & Confessarius per Bullam commutare. Sed negant communiter alij. Suarez, & alij 2. *ibid.* *resol.* 84.

17 Potest Confessarius virtute Bullæ commutare omnia vota, quæ potest Episcopus commutare vt Episcopus, (idem est de Iubilæo) non autem vt Sedis Apostolicæ delegatus. Sanch. & alij. *ibid.* *res.* 56. Item potest commutare votum ingrediendi religionem arctiorem, in votum ingrediendi laxiorem; erogata tamen aliquâ elemosynâ in subsidium belli. Sanchez. *ibid.* *res.* 55.

18 Non sunt reservata vota pœnalia castitatis, vel Religionis. (Sanch. & alij 8.) aut verè cõditionalia, etiam post impletam cõditionem, quamvis etiam tunc essent confirmata, quia qui sic vovit, non eligit votum vt tale est; sed potius vel ex pœnæ metu, vel ex amore rei sub conditione positæ, quod est cõtra perfectã rationem voti Religionis, & Castitatis. Sanch. & alij 5. 2. votum castitatis emissum pro certo tempore. Sanchez & alij 16. 3. votum non petendi debitum etiam de vtriusque cõiugis consensu; quia non est votum integre castitatis. Sanchez & alij 7. 4. vo-

sum

rum non nubendi, nisi fuisset emissum
in fauorem alterius coniugis, propter
filiorum bonum, vel similem cau-
sam. Sanchez & alij 16. 5. votum vir-
ginitatis, quando constat non esse
votum castitatis, sed solius integra-
tis corporis seruanda: si tamen qui
vouit, dubius est de sua intentione,
non potest vii beneficio Bullæ: quia
censetur votum castitatis absolutum.
Sanchez & alij 6. 6. votum non for-
nicandi, non committendi actum
mollitiei, &c. quia non sunt perfecta
castitatis. Lessius & alij 7. 7. votum ca-
stitatis coniugalis. Sanchez & alij 3.
8. votum disunctiuum, cuius altera
pars est reseruata, verbi gratia. Voueo
castitatem, vel sacros Ordines, etiam si
vna pars per accidens alicui facta esset
iam impossibilis, ita vt non posset im-
plere, nisi partem quæ est reseruata.
(Suarez & Sanchez.) Imò et si vouens
statuat non eligere partem non reser-
uatam. v.g. ad sacros Ordines non pro-
moueri, & reliquam partem voti eligat,
v.g. seruare castitatem, modò non ac-
cedat noua promissio, adhuc poterit
votum illud commutari vel dispensari, &
vouens mutata voluntate, rursus alte-

ram

ram partem eligere. Malder. & Boss. 9. votum suscipiendi sacros Ordines, quia non est votum castitatis, sed assumendi statum, cui annexa est castitas. Suarez & alij 12. *ibid.* ref. 53. 54. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 65. & 64. 74. & *part. 6. tr. 8. ref. 16.*

19 Qui certus est se vouisse castitatem, sed dubitat an habuerit animum se obligandi, etsi teneatur seruare votum, tamen illud non est reseruatum. Sanchez & alij *p. 4. tr. 3. ref. 4.*

20 Quando quis diuersis votis varia ad castitatem pertinentia promittit, possunt singula, atque adeo omnia commutari, licet ex omnibus simul iunctis consurgat obligatio perfecta castitatis: quia posteriora se habent per accidens ad priora; nisi vouens intendat ea coniungere. Sanchez. *p. 1. tra. 11. ref. 67.*

21 Qui vouit Religionem ingredi si intra annum non fornicetur, quacumque ratione, malitiâ, vel prauâ intentione fornicatur, etsi fortè peccet contra votum, non tamen tenetur ingredi; quia non est impleta conditio. Suarez & Bonacin. *p. 4. tr. 4. ref. 101.*

22 Qui vouit aut Religionem ingredi,

aut uxorem non ducere, cum sit valde proclivis ad incontinentiam, putant quidam non obligari; (Homobon.) cum tali matrimonium sit melius. Ego puto ab Episcopo dispensationem petendam, quam dare poterit; quia votum est alternativum. *ibid. res. 102.*

23 Potest virtute Cruciatæ commutari votum castitatis, emissum ab altero coniugum post matrimonium consummatum, sine mutuo consensu: neque enim est votum omnimodæ castitatis, cum teneatur reddere debitum: illo tamen matrimonio soluto, qui ita vouit tenetur servare votum simplicis castitatis. Sanchez & alij. *p. 1. tract. 11. res. 70.*

24 Votum castitatis, emissum cum licentiâ alterius coniugis, absque animo ingrediendi religionem, per Bullam est commutabile. At si uterque communi consensu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocae conventionis, non potest per Bullam commutari; sic enim vouentes obligant se ad votum absolutæ castitatis. Quod si tamen remitterent sibi mutuo illam renuntiationem iuris petendi, & conferrent iterum potestatem suorum corporum:

porum: quamuis id facerent sacrilegè
 contra votum, facerent tamen valide,
 & tenerentur iterum reddere, & per
 consequens posset votum commutari,
 vel dispensari. Sanchez & alij. *ibi. res. 82.*
 25^o Quamuis Episcopus in casu neces-
 sitatis possit dispensare in voto casti-
 tatis absolute, quando magnum peri-
 culum est incontinentiæ, vel aliud ma-
 gni momenti, nec facilis est aditus ad
 Papam ob pauperitatem, aut aliam
 causam: (Sanchez & alij 7^o) non ta-
 men id possunt Regulares per sua pri-
 vilegia. Suarez & alij 4. licet hoc do-
 ceat Croulers. p. 6. r. 6. res. 50.

26^o Votum religionis commutari po-
 test, vt tempore præscripto ex iustâ
 causâ non impleatur, dummodò non
 ita differatur, vt sit periculum ne non
 possit impleri. (Sanchez & alij 2.) Simi-
 liter si quis vouit mendicando adire
 sanctum Sepulchrum, potest Confessa-
 rius commutare, vt a deat sine mendi-
 catione: quia est tantum qualitas ad-
 iuncta substantiæ voti. Less. & alij 6.
p. 1. r. 11. res. 83.

27^o Votum votiendi castitatem, seu
 religionem, est commutabile per Bul-
 lam; quia non est votum castitatis, nec

relig

28

sum

cuiu

non

voti

quo

& a

pot

re d

pau

con

hoc

p. 6.

29

leer

re f

tan

hoc

San

30

ale

tur

run

fati

nla

tib

77

31

in

religionis. Suarez & alij 2. *ibid. ref. 76.*

28 Potest commutari votum emis-
sum in fauorem tertij, v.g. sacelli ali-
cuius, vel pauperum, dummodo illud
non fuerit acceptatum: quia eiusmodi
votum non tribuit vllum ius iis in
quorum fauorem fuit emissum. Suarez
& alij 4. vnde & propria auctoritate
poterit quis illud in melius commuta-
re dando alteri homini, vel Ecclesie
pauperiori. Post acceptationem tamen
commutari non potest. quamuis etiam
hoc admittat Pagand. *ibid. ref. 47.* *Or*
p. 6. tr. 6. ref. 61.

29 Qui vouit certo pauperi dare e-
leemofynam, potest propria auctori-
te illam dare alteri pauperi, numquam
tamen potest eam sibi applicare, quia
hoc non habet rationem eleemofynae.
Sanchez vterque *p. 5. tr. 8. ref. 37.*

30 Si quis iurauit se v.g. numquam
aleam iusurum, aut si ludat, certam pec-
cuniam eleemofynae nomine datu-
rum, potest vi Bullae obtinere dispen-
sationem, etiam quoad poenam pecu-
nariam ex iuramento, sed voti viola-
tione incurram. Sanchez & alij 8. *p. 11*
tr. 11. ref. 46.

31 Qui vouit non solum ingredi, sed
etiam

etiam profiteri in quadam Religione, si tempore nouitiatus videat eam sibi non esse accommodam, potest sine dispensatione egredi. Less. & alij 4. neque tenetur postea iterum ingredi cessante causâ ob quam exiuerat, vel expulsus erat. Suar. Imò probabile est votum perseverandi non aliter obligare, quam votum simplex religionis. *p. 2. tract. 17. ref. 10. & p. 6. tr. 7. ref. 53.*

32. Qui vouit simpliciter religionem probabiliter satisfecit voto ingrediendo, etsi postea sine iustâ causâ, sed ex leuitate sit egressus Nauarr. & alij. *p. 4. tr. 4. ref. 25. & p. 6. tr. 7. ref. 24.* Item satisfecit, si religionem Equitû D. Ioannis ingrediatur, nisi aliud cum voueret, expresserit. Azor. & alij 5. Imò & si Ordinem D. Iacobi suscipiat, prout scilicet is primùm confirmatus est ab Alexandro III. non autem prout illa vota ab alijs postea Pontificibus sunt immutata. Pontius. *p. 2. tr. 16. ref. 36.*

33. Qui post votum, determinatæ religionis perijt in eam admitti, & repulsus fuit, non tenetur postea ingredi, etsi tunc inuitetur, nisi priùs fuisset repulsus ex falsâ informatione. Less. & alij. *p. 6. tr. 7. ref. 52.*

34. Qui

34 Qui fecit votum religionis pro determinato tempore, potest tamen illud differre, ob necessitatem sororis cuius pudicitia ex paupertate periclitetur. Sanchez & Trullench. et si alij id negent. Suarez & Castrop. *ibid.* ref. 54.

35 Votum ingrediendi religionem non potest quis propriâ auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus. Less. & alij 2. et si quidam contra putent. Sa & alij 3. p. 6. tr. 6. ref. 62.

36 Ad commutandum votum in bonum æquale, non est opus privilegio Cruciatæ. (Lessius & alij.) Imò potest pœnitens id facere propriâ auctoritate. (Henriquez & alij 3.) et si communis id alij negent. p. 1. tr. 11. ref. 48. & p. 2. tr. 16. ref. 7.

37 Quamvis ad commutanda vota etiam in bonum æquale, extra casus Iubilæi, vel Bullæ, sit opus aliquâ causâ, sufficit tamen levis & parva, v. g. si vouens hilaris implebit aliud (Lessius & Fernandez) imò quia petit. Sanchez. Quòd si Sacerdos commutet votum in æquale sine legitimâ causâ, peccabit tantum venialiter, & valebit commutatio: quia abusus potestatis est in re leuissimâ. neque magnum detrimen-

tum infertur cultui diuino. Sanchez.
p. 2. tr. 16. ref. 8.

38 Commutatio votorum per Bullā,
vel privilegia Regularium, vel iubi-
laum, fieri potest extra confessionem
sacramentalem. Sanch. & alij p. 1. tr. 11.
ref. 45. & p. 2. tr. 2. ref. 9. & p. 4. tr. 4. ref. 3.
& p. 5. tr. 12. ref. 36.

39 Potest Confessarius differre com-
mutationem voti, etiamsi annus Cru-
ciatæ transeat, dicendo pœnitenti:
Commuto tibi hoc votum in id quod
postea iudicauero in iungendum: nec
peccabit pœnitens, si votum illud vio-
lauerit antequam Confessarius quid-
quam iniunxerit: quia iam obligatio
illius est extincta, & translata in aliud,
quod pœnitens in genere acceptauit.
Sanchez & alij 2. p. 1. tr. 11. ref. 52.

40 Post commutationem voti, inte-
grum est vouenti redire ad prius vo-
tum, etiamsi commutatio facta fue-
rit in melius: quia facta est in fauo-
rem vouentis: ergo potest illi renun-
ziare. Sitamen vouens acceptaret illam
ad maiorem Dei cultum, & hono-
rem, non posset ad prius votum re-
dire: quia commutatio facta est in fa-
uorē Dei. Sanch. & alij 2. p. 2. tr. 16. ref. 6.

41 Qui

41 Qui vouit singulis mensibus confiteri, vel communicare, satisfacit etsi per duos, vel tres dies ultra mensem differat. Imò si intra octo dies à mense elapso sequeretur sollemnis aliquis dies, vel iubilæum, posset tamdiu differre, si agrè bis infra octo dies confiteretur. Idemque est de anticipando, ex simili causâ. Sanchez. p. 3. tr. 4. res 100.

42 Qui vouit B. Virgini *Pater*, & *Aue*, vel *Salve Regina*, quotidie, & non recitat, non videtur peccare mortaliter, quia quando materia voti est res parua, etsi sit totalis, eius violatio solum est venialis. Sanchez & alij 7. etiam si vouens contrarium intendat. Aliud esset si vouisset quot. die dare parua elemosynam; quia hæ parua materia coalescunt in vnam. Suarez & alij. *ibid.* tr. 5. res. 24. & p. 5. tr. 5. res. 36. & 50.

43 Plura vota parua eodè die violare, non est mortale; quia illa, ratione eiusdem temporis, nō coniunguntur inter se Suarez & Castio Pal. p. 5. tr. 5. res 55.

44 In voto, vel iuramento non bibendi vinum, mortale erit, si semel contra fiat; sed requiritur tanta potati vini quantitas, quæ in prandio vno sufficere.

possit pro potu communiter vtentis in moderatè vino : multò magis in voto ieiunandi in pane, & aquâ, erit mortale semel bibere, quia frangeretur id ieiunium. Sanchez. *p. 5. tr. 5. ref. 37.*

45 Omnia vota tam in sæculo, quàm in nouitiatu emissa, per solemne Religionis extinguuntur. Idem dic de iuramentis. Sanchez & alij. *p. 3. tr. 6. ref. 65.*

46 Vota peculiarìa quæ in quibusdam Religionibus emittuntur præter tria substantialia, vt vitæ quadragesimalis apud Minimòs, non acceptandi Prælaturas extra Religionem, vt fit in Societate IESV, &c. non possunt per Generalem irritari, commutari, vel dispensari. Suarez & alij 5. et si hoc affirmet Miranda *p. 6. tr. 8. ref. 34.*

47 Renouatio votorum non confert remissionem omnium peccatorum, sicut prima emissio. (Sanchez & alij.) quamuis id affirmet Layman: Imò probabiliter quoties quis interno affectu renouat. Villalob *p. 4. tr. 4. ref. 180.*

Vjura.

1 **M**Vtuare aliquid cum pacto, vt is qui accipit motuum, conferat officium, vel Ecclesiasticum, episcopium

cium, est Simonia & usura: cum enim illa obligatio tollat libertatem collatori, est pretio æstimabilis. Medin. & alij 5. Si quis tamen mutuum daret, non ut pretium beneficij, sed ut provocet amicitiam collatoris, aut ut ei gratiam præstet quam non vult præstare, nisi alter statim gratificetur, conferendo beneficium, probabile est nec usuram, nec Simoniam fore. Malder. p. 1. tr. 8. ref. 51.

2. Potest quis pro pecunia data mercatori accipere in fine anni, verbi gratia, quinque pro centum, modò (licet tacitè & implicite) intendat celebrare tres contractus. 1. societatis. 2. assurationis capitalis. 3. venditionis lucri incerti pro certo. Bonacin. & alij 10. *ibid.* ref. 30.

3. Si quis bonâ fide celebravit contractum usurarium, quem si cognovisset iniquum, alium iustum celebrasset; probabile est illum posse tantum lucri retinere, quantum per contractum licitum acquisivisset. Sâ. *ibid.* ref. 47.

4. Probabile est chirographa immatura minori pretio emi posse: Id est, ius v. g. ad 100 aureos soluendos intra annum, esse nunc emi minoris, putà 96.

Q. 9. 3

aut

aut 97. aureis. Quia pecunia præsens pluris æstimatur quàm futura. Nauarr. & alij 8. Contraria tamen sententia est cõmunior. Lessius & alij 11. *ibid. res. 49.*

5 Si Petrus debet Ioanni 100. aureos soluendos post annum, & nunc vult illi soluere 50. cum hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios 50. nulla est usura: quia vnum mutuum datur pro alio. Malder. & alij 2. *ibid. res. 63.*

6 Licet tradere pecuniam, domum, v.g. tradenti, hoc pacto vt ipse vtatur domo, alter pecuniã, modò adsit ritulus lucri cessantis, & pactum retrovendendi in fauorem vtriusque, ita vt ipse teneatur restituere rem, si alter pecuniam restituat. Bonacin. *ibid. res. 28.*

7 Contractus quo quis rei venditæ fructus sibi seruat donec soluatur pretium, non est usurarius, quamuis neque emptor sit in morã soluendi, neque venditor ex pretio statim soluto aliquid esset lucraturus. Sanchez & alij 3. *part. 4. tr. 4. res. 139.*

8 Vt sciatur quantum possit exigi ratione lucri cessantis, hæc statui potest regula: Vt qui mutuat, tantum remittat ex lucro cessante, quantum prædaret alteri

alteri
roto lu
quidq
ret luc
ret 5. p
accipit
& alij
9 V
DD.
mutu
eam
ex g
ftris
rariu
Poss
opu
lend
ema
mu
æsti
ctur
ibid
pac
ven
cau
tio
ma
Sic

alteri qui ipsum redderet securum de
 toto lucro sperato, in seipsum suscipiens
 quidquid est periculi: v.g. si quis spera-
 ret lucrum 15. pro 100. & libenter da-
 ret 5. pro assecuratione, debet tantum
 accipere 10. pro lucro cessante. Lessius
 & alij 2. p. 1. 178. ref. 64.

9 Videtur non paucis probabile (et si
 DD. communiter cōtrarium doceant)
 mutuantem posse deducere in pactum
 eam iuris naturalis obligationem, qua
 ex gratitudine tenemur benefacere no-
 stris benefactoribus, dummodò mutua-
 tarius nihil inde patiatur incommodi.
 Possum v.g. tibi mutuare, vt mihi cum
 opus habebo remutues, vel in meo mo-
 lendino molas, vel à me iusto pretio
 emas: quod enim sine incommodo
 mutuatarij fieri potest, non est pretio
 aestimabile, ideoque si deducatur in pa-
 ctum, non est usura. Rodriq. & alij 8.
 ibid. ref. 59. Sicut neque si deducatur in
 pactum, vt mutuatarius statim emat,
 vendat, remutuet, &c. nam ita nulla,
 causâ mutui, imponitur obligatio pre-
 tio aestimabilis, cum mutuatarius non
 maneat in posterum ad aliquid obligatus.
 Sicut & hic contractus non videtur

usurarius : Do tibi mutuū 100. aureos, vel 100. amphoras vini, vt mihi vicissim mutues 100. modios tritici; hæc enim obligatio imposita mutuatario, parum est onerosa. Layman & alij 3. *ibid. ref. 60.*

10 Non est usura accipere aliquod donum à mutuatario, ad quod dandum fuit excitatus à mutuante : quia non exigitur illud munus vi mutui, neque ex debito iustitiæ, cum nullum interuenerit pactum, sed tantum ex gratitudine. Molin. & alij 4. *ibid. ref. 62.*

11 Quando debitor non soluit tempore præfixo, & ob id creditor cogitur cum interesse ab alio accipere tantum, quantum erat debitum, non tenetur monere debitorem velle se mutuū ab alio accipere cum fœnore: quia mora debitoris iam creauit illud damnum creditori. Malder. & alij 2. *ibid. ref. 87.*

12 Debitor qui est in morâ, non tamen culpabili, non tenetur suo creditori ad interesse damni emergentis, nisi præcesserit pactum de soluendo interesse procedente ex morâ inculpabili. Quia omissio inuitabilis, nullam habet rationem iniustæ acceptionis, aut

retentionis quæ sit radix obligationis ad restitutionem. Salas & alij 6. p. 2. tr. 15. ref. 49.

13 Ex pensionibus non solutis potest quis redditum, & censum antiquum augere, vel nouum constituere. Salas & alij. Probabile est etiam de pecuniâ ereditâ, vbi Bulla Pij V. non est recepta. Sotus. p. 1. tr. 8. ref. 44.

14 Potest quis sumere mutuum ab usurario, sub usuris, non tantum ad necessaria, sed etiam ad conuiuia, torneamenta, &c. iuxta exigentiam status: quia non videtur cooperari malitiæ usurarij. Et quamuis ad vana, & inutilia dictam pecuniam peteret, non esset nisi veniale. (Sanchez & alij.) Imò idem liceret petere ab homine non exercente usuras, quem tamen scires eas exacturum, sed tunc requireretur maior causa: sufficeret tamen petere ad torneamenta vel similia quæ sine dedecore non posses omittere. (Hurtad.) quare etiam ipsas usuras soluere, non est peccatum. Pontius. *ibid.* ref. 31. & p. 5. tr. 7. ref. 8. & 12.

15 Deponere pecunias apud usurarium qui scitur illis abusus ad usuras, non est peccatum si fiat ex iustâ

Qq 1

causâ;

causa: si sine causa, erit contra caritatem, non tamen contra iustitiam. Molin. & alij 2. Imò etiam tunc ab omni peccato excusant Bannez & alij 2. p. 5. 17. 7. ref. 11.

16 In usurâ cur non dabitur materia parua, si probabilis sententia hanc statuit in Simonia? sed tu cogita. p. 5. 17. 5. resol. 30.

Vide *Mutuam, Venditio.*

F I N I S.

UN-